Catholica

DE INTERNA,

AC PROPRIA GRATIÆ NA-
TVRA: TVM DE VARIO, AC NE-

ceſſario eiuſdm vſu, incertaq́; præſentia, diſpu-
tatio, Anno M.D.LXXI. in Inclyta, &
Catholica Academia Ingolſtadiana
publicè propoſita.

II. COR. III.

Fiduciam habemus per Chriſtum ad Deū: non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

ECCLESIASTÆ IX.

Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit.

CHRISTO DVCE.

Diſcutientur hæ Theſes proximo die. N.

Biblot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

INGOLSTADII
Ex officina VVeiſſenhorniana,
ANNO M. D. LXXI.

CVm permulti calamitoſo hoc ſæculo manichæorum inſaniam ab inferis exuſcitantes, humanis uiribus minus, quàm rectæ fidei ratio ſinat, tribuant: alij contra pelagianizantes plus, quàm par ſit, iiſdem admetiantur, commodiſſimum iudicauimus, ſi hac breui diſceptatiõe indagaremus, ecquid nam homo ex ſe, Chriſti domini noſtri gratia, & merito deſtitutus, efficere queat?

CONCLVSIO.

Sine me nihil poteſtis facere. Ioan. 15.

Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO *eſt.* 2. *Cor.* 3.

DE RATIONE, ET QVIDditate gratiæ.

PARS PRIMA.

THESIS I.

PRincipia, è quibus hominum actiones, tanquam ex primis cauſis proficiſcuntur, aut interna ſunt, aut externa.

II.

Inter interna habitus & potentia principem locum ſibi uendicant: inter externa numero totidem ferè.

III.

Externorum alterum quidem incitat ad bonum: alterum verò allectat ad malum, quamuis id, nec vno modo, nec pari virtute.

IIII.

Principium externè ad peccatum prouocans, eſt tenebrarum princeps Diabolus,& vniuerſum eiuſdem ſatellitium: principium verò externè ad virtutem inducens,eſt cœleſte numen,& quicquid in humanam ſalutem ſanctè cum eo conſpirat: ſiue id homo ſit,ſiue Angelus,ſiue aliud quodcunq;.

V.

Cœleſte numen ad virtutis,& honeſtatis ſtudium bifariam impellit: vno modo humanæ mentis inſcitiam, ac grauem cæcitatem diuino ſuo ſplendore illuſtrans,&,ne à recta officij ratione, præter modum,diſcedat, exterius dirigens: altero modo naturæ infirmitatem,ne præceps in omne ſcelus, ac nefas feratur,interius occulta quadam vi communiens,atq; confirmans.

VI.

Exterius humanæ imbecillitati conſulitur per ſtatuta, & leges, quas legiſlator noſter Chriſtus per ſe, vel per adminiſtros ſuos mortalium generi proponit: Interius verò per gratiam,& cætera, quæ gratiæ nomine continentur.

VII.

Gratia, qua amici Dei conſtituimur,nec nihil eſt, nec Deus eſt, nec aliud quippiam veræ originis rationem non agnoſcens eſt.

VIII.

Sed nec anima ipſa, aut aliqua interna ipſius animæ vis ſecundum eſſentiam eſt.

IX.

Eſt autem quiddam ſpiritale, à ſempiterno illo ſpiritu procreatum, extrinſecus animæ adueniens, ipſiusq; ſubſtantiæ,habitus,qualitatiſuè more inhærens.

X.

Poſſet quidem ſummus ille,& immenſus ſpiritus, ſi vellet,citra eiuſmodi ſpiritalem qualitatem vitiorum ſordibus peccatorem repurgare, repurgatumq; in gratiam, & amiciſsimorum ſuorum ſocietatem aſciſcere: ſed quoniam ſummè ſapiens, ſummeq; benignus,& noſtri amans eſt,neutrum facit.

XI.

Hæc porrò qualitas animæ inſidens,inſidendoq; diuinæ naturæ conſortem efficiens,intrinſecè nec fides eſt, nec ſpes eſt, nec aliqua alia his cognata virtus eſt.

XII.

Sed nec idem quoq;,quod ſupernaturalis charitas eſt: tametſi à charitate,neq; vt charitas eſt,neq; vt animæ qualitas eſt, non diuellatur vnquam,nec diuelli fortè queat.

XIII.

Eſt autem harum, atq; adeò reliquarum omnium verarum virtutum radix,principium,ac fundamentum. Hac vna namq; præſente quicquid veræ, ac propriæ virtutis rationem ſubit, adeſt:hac vna rurſum abſente, nihil aliarum virtutũ integrè, ſuisq; abſolutum numeris conſiſtere poteſt.

XIIII.

Et quoniam gratia virtus non eſt, ſed virtutum omnium vita,ac baſis, fit vt communem cum cæteris virtutibus ſedem nullam habeat: Nec enim menti, aut voluntati, aut alteri animæ facultati infixa inhæret:ſed, vt paulò antè dicebamus, ipſiuſmet animæ naturæ proximè inſidet.

XV.

Aſſerimus hoc autem, non de gratia excitante, aut quacunq; gratia gratis data: certum eſt enim eiuſmodi gratias, vel nullas conſtantes, vel alias occupare ſedes: ſed de gratia inhærente,& exoſum peccatorem gratioſum apud Deum faciente.

XVI.

Eſt quidem hæc ipſa quoq; gratia, gratis data gratia: vtpote gratuitò, abſq; vllis omnino proprij nominis meritis animæ infuſa: attamen quod primò, & per ſe,ſicut gratis, hoc eſt,citra vllum naturæ, aut perſonæ meritum collata, in communem aliorũ vtilitatem non offeratur,id nominis non ſortitur.

XVII.

Neutra iſtarum gratiarum alteram neceſſariò incluſam habet: nam & gratum faciens abſq; gratis data, & gratis data rurſum, abſq; gratum faciente adeſſe poteſt:tametſi non admodum frequenter id accidat.

XVIII.

Et vt gratum faciens, & gratis data à ſe inuicem ſeiungi poſſunt, & ſæpenumero ſeiunguntur, ita pleræq; gratiæ gratis datæ nullam neceſſariam inter ſe connexionem habent.

XIX.

Eadem omnino gratia pro officiorum,& effectuum diuerſitate, diuerſa

diuerſa ſortitur nomina: etenim vt animum ſcelerum vuulneribus pridem ſaucium ſanat, atq; adeò in primo merendi gradu collocat, à quibuſdam operans, ab alijs præueniens appellatur: vt verò voluntatem, vt bonum velit, excitatam, efficaciter ad opus impellit, cooperantis, vel ſubſequentis vocabulo familiariter exprimitur.

XX.

Sunt tamen, qui inter operantem, & præuenientem: inter cooperantem rurſum, & ſubſequentem gratiam ſecernendum putant. Nobis ſepoſita diſputatione, eorum ſententia probatur, qui id ſolum peruenientis gratiæ nomine ſignificari tradunt, quod ad iuſtificantem gratiam viam ſternit, quacunq; tandem vi, modo, ordine, vel ratione id efficiat.

XXI.

Primaria gratiæ cauſa eſt Deus τριάς: meritoria Chriſtus homo: inſtrumentalis quodcunq; Eccleſiæ Sacramentum: & omne præterea illud, quod humanæ ſaluti per ſe & directè, vel alio modo ſubſeruit: finalis vita æterna, & Chriſti gloria.

XXII.

Cæterum, quæ viam ad gratiam muniunt, ea non æqua ratione id efficiunt: quædam namq; remotè animum ad gratiam componunt: alia propinquè: nonnulla proximè.

XXIII.

Remotum ad gratiam aditum patefaciunt opera humana ſuapte natura honeſta: propinquum informis fidei, ſpei, timoris, charitatis, & pœnitentiæ actus: proximum ijdem illi actus gratia informati: nam etſi eiuſmodi officia in vno cauſarum genere non ſecus ferè ac calor ignem conſequantur, in altero tamen eandem inſtar neceſſariarum quarundam diſpoſitionum antecedunt.

XXIIII.

Prima illa & remota diſpoſitio neq; ſemper, neq; neceſſariò propinquam antegreditur: propinqua proximam ita antecedit ſemper, vt tamen abſoluta Dei potentia poſsit eandem non anteuertere: poſſet enim Deus, ſi ſimpliciter, & abſolutè vellet, noxam condonare, & gratiam infundere nulla exacta, vel expectata propinqua peccatoris diſpoſitione.

XXV.

Verum vt maximè id queat, adultó tamē abſq; eiuſmodi pro-

pinqua diſpoſitione, certaq; eiuſdem adulti ἐνεργείᾳ, iuſtificantem gratiam non infundit.

DE GENERALIS, ET SPECIALIS Auxilij vi, vſu, ac diſcrimine.

PARS SECVNDA.

THESIS I.

VT ignis, niſi primi orbis agitatione incitatus, non inflamat: ita humanus intellectus, niſi motum intelligendiq; vim, & energiam à Deo Opt: Max: accipiat, nec exiſtere, nec quicquam omninò intelligere valet.

II.

At non ita ignis inflamandi vim, & motum mutuatur à cœlo, vt intellectus intelligendi facultatem, & vſum accipit à Deo: nam quicquid cœlum igni, vel alteri cuicunq; corpori impartitur, id naturali quadam vi, ac neceſsitate impartitur: Deus autem liberè largitur, quicquid humanæ menti, vel alteri cuicunq; rei elargitur.

III.

Sed & aliud quoq; inter hunc, & illud intercedit: nam quòd cœlum præfinito, & quaſi ex præſcripto agat, non poteſt vlli omnino rei vires naturalibus ampliores impartiri: Deus autem eo modo certas in quamuis naturam procreatam vires, & facultates transfundit, vt tamen alias ſubinde, atq; alias transfundere neutiquam prohibeatur.

IIII.

Vnde virtutis cæleſtis vnum duntaxat: diuinæ autem geminum tactum aſsignare licet: alterum communem: alterum ſpecialem.

V.

Communi res ita tangitur, vt tamen extra naturalium virium cancellos non efferatur: ſpeciali porrò vi tacta, ſupra naturæ vires, vt plurimum euehitur.

VI.

Allapſu

Allapſu generali præpotens Deus adeſt omnibus agentibus, & actibus, etiam vitioſis, vt actus ſunt, & ſemper, & ex pacto: nam eo ipſo quod producit, certasq; ac præfinitas efficiendi vires producto indit, tacitam de ſubſidio, & συνεργείᾳ pactionem cum ipſo inire cenſetur.

VII.

At verò impulſu ſpeciali, non agit ex pacto, ſed liberè: nititur enim auxilium hoc redemptionis merito, non creationis debito, vt alterum illud: nec in omnem actum, ſed in actus tantum moraliter bonos: nec in omnes eiuſmodi, ſed in eos potiſsimum, qui naturæ peccato deprauatæ facultates tranſcendunt.

VIII.

Cæterùm actus naturæ vim excedentes, non eiuſdem rationis ſunt omnes: ſunt enim, qui eam ſimpliciter excedunt: ſunt rurſum, qui ſecundum ſe, & ſimpliciter non excedunt, excedunt tamen ſecundum naturæ originis vitio labeſactatæ ſtatum: ſunt tertiò qui neutro modo excedunt, excedunt tamen ſecundum actionis modum: ſunt poſtremo, qui nec hoc, nec illo, nec etiam primo modo excedunt, excedunt tamen, vel temporis ratione, vel loci qualitate.

IX.

Primo modo infuſæ fidei, ſpei, & charitatis actus naturæ noſtræ vires tranſcendunt: ſecundo accurata legum, & omnium moralium præceptorum obſeruatio, grauiorum tentationum depugnatio: &c. tertio rerum omnium naturalium, & cita, & certa cognitio: quarto & poſtremò ea noſſe, ſi puer adhuc fueris, & inter barbaros educatus, quæ vix tenent adulti, inter eruditos, & vrbanos perpetuò verſati.

X.

Pro triplici mortalium genere, ac ſtatu, triplex ſpeciale auxilium aſsignari poteſt: vnum, quo Chriſti myſterijs nondum initiati excitantur ad fidem, veramq; Euangelicæ legis cognitionem: alterum, quo à ſacramentali gratia in crimen prolapſi, commouentur ad pœnitentiam: tertium & poſtremum, quo iuſti traducuntur ad gloriam, aut ad acceptæ gratiæ amplificationem.

XI.

Vnum-

Vnumquodq; iſtorum in operans & cooperans, in præueniens & ſubſequens, in ſufficiens & efficax diſtribuere licet.

XII.

Excitantis, præuenitisúe auxilij impulſione humana voluntas non tam agit, quâm agitur: ſiquidem repentini illi timoris, vel amoris motus, non ſemper in timentis, vel amantis arbitrio ſunt poſiti: at verò operantis cooperantisúe gratia vi incitata, & agit, & agitur viciſsim, liberè tamen: poteſt enim, ſi velit, ſuaui ſpiritus impulſioni non obſequi.

XIII.

Auxilium ſufficiens nulli ordinariè in ſe, vel in altero, vel ſaltem in ſua cauſa denegatur: dummodo tamen indigens per ſe, vel per alterum petere, vel vltrò oblatum admittere non recuſet: & in eo prætcrea ſtatu exiſtat, in quo paratum, vel oblatum ſalubriter participare queat: certum eſt enim infantes intra materna viſcera adhuc exiſtentes citra Martyriū regenerari nō poſſe: nō quod ſufficiens ſalutis remedium in Sacramentis paratū non habeant, ſed quod paratum vtiliter communicare non queant: Idem de his cenſeri poteſt, qui lethali ſcelere obſtricti inciderunt in μανίαμ, durante animi morbo: & de alijs quibuſdam ſimilibus.

XIIII.

Fatendum eſt tamen, eiuſmodi ſalutis præſidia, nō æquè omnibus eſſe obuia: plurimum enim refert vt citius, & certius vitam conſequare, inter chriſtianosnè, & probos verſère, an inter hæreticos, aut ſceleratos, aut planè infideles, cuiuſmodi ſunt, qui de Chriſti lege, & Euangelio nihil planè audiuerunt.

XV.

Sufficiens ſalutis auxilium hoc loco appellamus, non quo impius, vel peccator ſtatim exurgit, ſed quo vel reipſa reſurgit, vel ad reſurgendum, ſi velit, componere ſe poſsit. Nam etſi Deus ægrum è veſtigiò ſanare queat, & ſæpè ſanet, tamen non ſemper è veſtigiò ſanat, ſed naturæ more ab imperfectioribus exorſus, paulatim, & per temporum interualla integram interdum ſanitatem præſtat.

XVI.

Et quoniam miſericordiarum pater omnibus, ad modum paulò antè expoſitum, ſufficiens ſalutis remedium ſubminiſtrat, & tamen non æquè omnes ſunt improbi, nec rerum caducarū ſordibus

dibus æquè immerſi, fit vt non omnibus par impartiatur, ſed pro cuiuſq; conditione maius, magis laborantibus, minus verò, minus egentibus.

XVII.

Etenim vt non idem alimentum ad tuendam vitæ incolumitatem, ſatis eſt omnibus validis: nec ad exhauriendum noxium humorem idem pharmacum ſat eſt omnibus ægris: ad eundem modum non idem ſpiritale præſidium ſatis eſt omnibus ſpiritali morbo affectis.

XVIII.

Quare ſi auxilium nefariè ſcelerato oblatum, offerretur moraliter bono, non ſolùm ipſi ad conuerſionem ſat eſſet, verùm etiam ad ſalutem efficax: & vice verſa, ſi id ſolùm inſigniter improbo præſtetur, quod præſtari ſolet mediocriter probo, non modo efficax in ipſo non eſſet, ſed ne ſufficiens quidem.

XIX.

Atq; huc illa Chriſti domini noſtri comminatio ſpectat: Væ tibi Chorozain, væ tibi Betzaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilitio pœnitentiam egiſſent. Hîc ſanè perdiſertè indicatur, præſidia illa quæ Chorozaitis, & Bethzaiditis ad conuerſionem nihil profuerant, Tyris & Sidonis oblata, vberrimos pœnitentiæ fructus æditura fuiſſe: nec id vtiq; alia de cauſa, quam quòd Tyri, & Sidonij minus erant duri, minuſq; in ſceleribus & peccatis obſtinati, quàm Chorozaitæ, vel Bethzaiditæ.

XX.

Efficacia gratiæ diuinæ præſidia, non paris efficacitatis ſunt omnia: ſunt enim, quibus voluntas ita potenter rapitur, vt obſiſtere vix queat: tametſi, ſi abſolutè loquamur, obſiſtere valeat: ſunt rurſum, quibus trahitur, & conuertitur, non ea tamen vi, quin facili negotio obniti poſſet, ſi vellet: ſunt deniq; quibus tangitur, & permouetur, non tamen in melius permutatur, non quòd non poſſit, ſed quòd diuino impulſui parere nolit.

XXI.

Primi generis auxilia ea cenſeri ſolent, quibus tractus fuit Saulus, Dauid, Magdalena, Latro, Petrus, & alij complures nobis ignoti: proximi, quibus myſteriorum fidei rudes, vel peccatores quotidiè conuertuntur ad fidem, vel concitantur ad pœnitentiam: poſtremi

ſtremi, quibus in ſcelere obſtinati homines in ſuam abutuntur pernitiem.

XXII.

Poſtremum hoc ſpecialis auxilij genus ſufficientis nomine familiarius epxrimitur, quàm efficacis: nō quòd ex ſe, & ſecundum ſe, ſi quod ſuarum eſt partium peccator in medium afferat, efficax non ſit, ſed quòd præfractæ voluntatis malitia præpeditum, effectu careat.

XXIII.

Quocirca ſciſcitanti, qua de cauſa hic ſempiterna beatitudine donetur, ille contrà eadē fœlicitate deſpolietur, reſponderi poteſt, id non tam ex diuinorū auxiliorū inæqualitate prouenire, quàm ex diſsimili in diuinis præſcriptis obeundis ſtudio, reſpondendū eſt, inquā, diſparem illam vtriuſq; conditionem non aliundè ferè promanare, quàm quòd hic oblatæ gratiæ ſubmiſsè, ac promptè obediat: ille contra eandem obſtinato animo abs ſe repellat.

XXIIII.

Si qui tamen ſunt, qui eam in ſententiam diſcedunt, vt exiſtiment id ea de cauſa euenire, quòd huic efficax gratiæ auxiliū obtigerit, illi tantùm ſufficiens, eorū nos iudicio nō refragamur: tametſi id, qnod altera ſententia aſſertum fuit, no minus cū veritate, ac ſermonis proprietate coniunctū eſſe nihil quicquā dubitemus.

XXV.

Verùm enimuerò ſiue hoc, ſiue illud, ſiue aliud quodcunq; teneas, vel reſpondeas, certùm eſt omne omnino auxiliū efficax, abſolutè, & ſimpliciter ſufficiens eſſe: & è diuerſo omne ſimpliciter, & abſolutè ſufficiens, efficax eſſe poſſe, & re ipſa, quòd ad ſe attinet, efficax exiſtere: aliàs. n. vero ſufficientis nomine cenſeri nequaquā poſſet: nam ſi præter illud, aliud adhuc, vt peccator ad frugem redeat, neceſſariò exigitur, efficitur ſanè, vt illud ex ſe ad ſalutē adipiſcendam ſufficiens non fuerit, ſed tantùm ex parte, & ſecundum quid.

DE DIVINÆ GRATIÆ, ET vtriuſq; auxilij neceſsitate.

PARS TERTIA.

THESIS I.

Nullum

NVllum omnino theoricũ, aut practicũ, naturale, aut tranſnaturale verum, citra alterutrũ auxiliorũ, cognoſci poteſt.

II.

Verũ theoricum hoc loco appellamus, quod circa rerũ cõtemplationem potiſsimũ occupatur: practicũ, quod humanas actiones, ne à rectitudinis ſcopo exorbitent, moderatur: naturale, quod humana mens ſuapte vi, ſi aliundè non impediatur, percipere poteſt: tranſnaturale, quod eadem illa humanæ mentis vis citra reuelationem, aliuduè cœleſte miniſterium aſſequi nequit.

III.

Vt rerũ naturaliũ rudem, inchoatamq; notitiam tibi cõpares, nullo, præterquã communi, opus eſt præſidio: fruſtra namq; inſita eſſet homini intelligendi vis, ſi nihil omnino ex ſe, cum generali cœleſtis numinis afflatu, intelligere poſſet: Nec enim minor cenſenda eſt rationis vis, quàm ſenſus; at hic naturali vi ea, quæ ſub obiectum ipſius cadunt, cognoſcit.

IIII.

Verùm, vt res omnes Phyſicas exactè, & cito, & citra errorẽ intelligas, (quã præcellẽti rerũ naturaliũ cognitione primus generis noſtri propagator, & ſecundum ipſum Regum omnium ſapientiſsimus Salomon ornati fuiſſe exiſtimantur) cœleſti lumine interius perfundâre, & colluſtrâre neceſſum eſt.

V.

Pari, aut etiam ampliori ſupernaturalis lucis præſidio opus fuerit, vt ea omnia, quæ moralis Philoſophiæ ambitu continentur, prorſus perſpecta, explorataq; habeas: puta vt quid, quantum, quo modo, quando, curué hoc, vel illud agendum, fugiendumuè ſit nuſquam non accuratè teneas.

VI.

Poteſt quidem homo ſolo generali illo, & cõmuniſsimo diuini numinis impulſu fretus, horũ aliqua verè internoſcere, exempli cauſa, prima principia practica, tùm concluſiones bona conſecutione, & propinquè inde deductas, tùm alia eiuſmodi nonnulla: quemadmodum etiam intellectus theoricus multa ſimilia per ſe intelligit: verùm vt ita ſingula diſcernat, vt nunquam ſeſpitet, nunquam in diiudicando eiuſmodi vero hallucinetur, aut erret, id in deprauato hoc naturæ ſtatu abſq; ſingulari Dei ope fieri nullo modo poteſt.

VII.

Atq; hæc diuinæ legis interpretum mens fuit, hôc ſacroſancta Chriſtianæ Reipub. comitia præfixum habuêre, quando, vt boni cuiuſpiam rationem teneremus, aut expeteremus, aut reipſa efficeremus, id non humanæ induſtriæ, aut viribus, ſed diuinæ beneficentiæ deferendum eſſe definiuerunt: Niſi forſan non de quouis morali veró, aut bono id ipſos feciſſe ſtatuamus, ſed de eo tantùm, quod ad ſalutem, vel finem ſupernaturalem vtile eſt, vel neceſſarium: aut certè vna gratiæ voce, vniuerſa cum à natura exorta, tum cœlitus profecta Dei beneficia comprehendant: nam hac quoq; notione gratiæ vocabulum interdum vſurpatum nouimus; Gratia (inquit D. Auguſt) eſt, quòd creati ſumus: gratia eſt, quòd redempti ſumus.

VIII.

Aſſeuerauimus in hoc calamitoſo, ac deprauato naturę noſtræ ſtatu, eiuſmodi verum naturali vi mentis cognoſci non poſſe: nã in primæua humani generis inſtitutione, quoduis verum practicum, citra aliquod aduentitium lumen ſolis humanæ naturæ præſidijs cognoſci potuit, & quidem magna cum facilitate.

IX.

Sunt, qui in ſtatu purè naturali, ſi quem talem eſſe, aut olim extitiſſe confingamus, idem fieri potuiſſe exiſtiment: ſed falluntur. Nam in eo vitæ genere, eadem vigeret pugna inter ſenſum & rationem, inter carnem & ſpiritum, quæ in hoc noſtro, quamuis fortaſsis aliquanto remiſsior: ſiquidem naturales impetus peccati improbitate non parum incitatiores euaſiſſe creduntur: vbi autem eiuſmodi pugnæ, & inteſtini animorum motus feruent, ibi error, & imprudentia non obrepere interdum non poſſunt.

X.

Et vt maximè ponatur, intellectum poſt amiſſam originis iuſtitiam, ſola vi naturali vtrumq; verum conſequi poſſe, adhuc tamen naturæ integræ cognitionem non æquaret: Nam propter virium infirmitatem, & rationis hebetudinem non tam exactè, nec tanta cum facilitate, & celeritate cognoſceret, ſicutantè cæcitatis vulnus acceptum cognoſcebat.

XI.

Quod ſi hoc verum ſtatu omne morale, & phyſicum verum, citra cœleſte lumen perfectè perſpici non poteſt (perfecta namq;

earum rerum cognitio, perfectam exigit prudentiam, cuiuſmodi in iniuſto, & peccatore eſſe non ſolet: ſiquidem omnis peccans, vt eiuſmodi, eſt ignorans) multo ſanè minus eæ veritates, quæ à Deo, vt transnaturale rerum principium eſt, proximè proficiſcuntur, citra eiuſmodi præſidium plenè, ac perfectè perſpicientur: eſt enim hoc illo multo altioris contemplationis, multoq; difficilioris cognitionis.

XII.

At poteſt tamen hoc ipſum quoq; verum, ab improbis in partem, & imperfectè cognoſci: Nam & Dæmones, & infideles, & hæretici nonnulla fidei myſteria profitentur, & credunt: tametſi vtrique alio aſſenſu, quàm catholico: credunt namq; hoc, aut illud, vel quia à viris grauibus acceperunt, vel quia rei euidentia conuincuntur, vel certè, quia olim per fidem infuſam compertum habuerunt.

XIII.

Nemo omnium cuiuſcunq; demum ſtatus, ordinis, aut conditionis extiterit, aut velle, aut facere poteſt aliquod bonum abſque alterutro Dei Opt. Max. auxilio: ſcriptum eſt enim: Sine me nihil poteſtis facere: rurſum: Nemo poteſt dicere Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto: item: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Item. Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione hominem credere, ſperare, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, anathema ſit. Con. Triden. Mile.

XIIII.

In ſtatu naturæ integræ homo ſolo communi illo, ac generali ſummi Rectoris concurſu adiutus, vniuerſum morale bonum, & velle, & perficere, atq; adeò omnes actiones ſuas, in Deum tanquã in primum rerum omnium principium, ac vltimum earundem omnium finem referre potuit: at nihil tamen horum, cum merito præſtare poterat.

XV.

Peccator ſolo communi procreatoris auxilio ſubnixus, cùm velle bonum aliquod naturale, tùm etiam perficere poteſt: poteſt enim rei familiaris anguſtia afflictos ſua liberalitate ſubleuare, poteſt ſobriè, vt valeat, vel vt maiorum legi pareat, comedere, poteſt neminem temerè, dicto, aut facto lædere: poteſt alia id ge-

nus nonnulla commoliri &c: at verò omnium moralium virtutum officia abſq; ſpeciali cœleſtis patris ſubſidio integrè, ac perfectè explere nequaquam poteſt: nam aliàs ſtatus, in quo iam verſamur, à ſtatu innocentiæ perexiguo interuallo diſtaret.

XVI.

In neutro iſtorũ ſtatuũ aliquod omninò ſupernaturale opus, abſq; ſupernaturali Redemptoris fauore velle, aut perficere valet, aut valuit vnquã. At quædã tamen, vt modo dicebamus, & per ſe notũ eſt plus ſatis, tũc poterat, quę nũc nõ poteſt, & ea ipſa, quæ nunc poteſt, maiori tunc facilitate, iucunditate, ac conſtantia potuiſſet,

XVII.

Et vt nemo diuinum aliquod, & ſupernaturale õpus, abſque diuinis, & ſupernaturalibus viribus, hoc eſt abſq; cœleſti, ac peculiari Chriſti Domini auxilio ædere poteſt: ita nemo quoq; abſque eodem illo ſupremi numinis præſidio in inchoato opere ad finem vſq; perſiſtere, aut progredi poteſt.

XVIII.

Quemadmodum φιλάνθρωπος Deus per ſe, vel beatorum internunciorum operam, ea interdũ aperit, quæ homo ſuopte marte aſſequi poterat: ita idem ille cœleſte nonnunquam auxilium ad ea explenda ſubminiſtrat, quæ ſolo communi, ac generali eiuſdem præſidio expleri poterant, quamuis non ea facilitate, nec ea etiam vtilitate: ſiquidem non parũ refert ex ſpeciali ne Dei Opt: Max: auxilio, hoc, aut illud opus prodierit, an ex cõmuni, aut generali tantum.

XIX.

Etenim opera honeſta, ſiquidem ex tranſnaturali ſempiterni ſpiritus impulſu prodierint, propinquè ad gratiam, & iuſtificationem diſponunt: ſin autem ex ſolo communi, vel generali remotam tantùm ad gratiã viam muniunt: tantum abeſt vt ſaluti aduerſentur, aut, vt quidam imperitè nugantur, per ſe peccata exiſtãt.

XX.

Quodſi eiuſmodi opera ex ſe, aut peccata, aut peccaminoſa forent: profectò peccatis obſtrictus ad iuſtificationis gratiã nunquã perueniret. Nam, vt ſuprà indicatũ eſt, citra propinquam, ad gratiam præparationem, nulli via ordinaria iuſtificationis beneficiũ obtingit: atqui per peccatum nemo ad gratiæ ſuſceptionem ſe cõparat, aut vlla ratione comparare valet, vt quod in hoc mortalitatis ſtatu gratiæ, & vitæ ſpiritali quàm maximè aduerſetur.

XXI.

Sed

Sed & Scripturæ, & patres, & vniuerſa Eccleſia neminē ex profeſſo ad peccatum exſtimulat: quin potius peccati odium, & deteſtationem nuſquam non ſtudioſè inculcat: atqui illa magna vi, atq; contentione ad pœnitentiam, & vitæ emendationem: ad pietatem & probitatem: ad omnem deniq; virtutem, & honeſtatem inuitat: opera igitur moraliter bona ex ſe, cum vitio, aut turpitudine nequaquam ſunt coniuncta.

XXII.

Adde ſi eiuſmodi opera ſuapte natura, & intrinſecè eſſent peccata, æquè ferè miſeram fore peccatorum conditionem, atq; damnatorum: Nam ſiue Dei, vel Maiorū præcepta obſeruarent: ſiue ea neglectui haberent, ſemper peccarent, atq; ideo in quamcunq; tandem partem ſeſe verſarent, damnationis barathro propius vſque accederent: id quod abſq; ingenti abſurditate, & manifeſta diuinæ miſericordiæ iniuria ſtatui nullo modo poteſt.

XXIII.

Nec excuſat nugatorū iſtorū cōmentum illud Iohannis: Quod natum eſt ex carne caro eſt. nec illud Matthæi: Non poteſt arbor mala bonos fructus facere. nec illud Apoſtoli: Quod nō eſt ex fide, peccatum eſt. itē: Immundis aūt, & coinquinatis nihil eſt mundū. nec deniq; cætera omnia, quæ ex patribus, & Scripturis ad ſtabiliendū errorē ſuū, in hunc locū congerunt aduerſarij. Nam hæc, & ſi qua his cognata ſunt alia, nō de quibuslibet operarijs accipienda ſunt, ſed de his præcisè, qui eiuſmodi opera, vel cōtra cōſcientiā ſuā patrant, vel certè in malū, præpoſterū, ac vitioſum finē referunt.

XXIIII.

Quod ſi choc ſenſu, tametſi vero, ac proprio, Scripturæ verba accipere nō lubet, agedū accipiantur in ſenſu formali, & plana, & expedita erunt omnia: certum eſt. n. omne carnale, omne immundum, omne infidele, vt eiuſmodi eſt, & malum eſſe, & peccatum.

XXV.

Verum ſi qui ex hoc mortaliū albo opera moraliter bona, hoc eſt rectę rationi cōſentaneè ędita, ad Deū, aliumuè honeſtū finem referunt, illi, tametſi adhuc iuſti nō ſint, operantes tamen non malos, ſed bonos fructus pariunt: non ſolùm bonitate intrinſeca, & naturali, verùm etiam extrinſeca, & morali: attamen quod eiuſmodi opera ſpiritu, hoc eſt bonitate ſupernaturali deſtituantur, non ſunt eius præſtantiæ, vt gratiam, aut ſempiternam fœlicitatē promereantur.

XXVI. Gra-

XXVI.

Grauiorum ſcelerum vinculis conſtrictus, Deum perfectè ex ſe diligere non poteſt: neq; eiuſmodi dilectionem eliciendo: ita vt hunc, aut alium ſimilem actum ſola naturæ vi efformet: Deo in omnibus placere, ipſamq́; ſi opus fuerit, uitam, ac fortunas omnes, ipſius cauſa impendere, certò apud me conſtituo: nec rurſum eiuſmodi actum elicitum, animoué conceptum exequendo, ita vt iam non tantùm Deo creatori in omnibus placere, ipſiusq; præceptis, promptè obtemperare, certum ac deliberatum habeat, verum etiam vt reipſa in omnibus & ſingulis ipſi morem gerat.

XXVII.

Et vt illis, qui hîc ſecus, ac nos, opinantur, gratis largiamur, intellectum vi naturali, quæ generalem Dei concurſum non excludit, eiuſmodi iudicia formare poſſe: Summum bonum ſummè eſt diligendum: Emori ſatius eſt, quàm in Deum Opt: Max: committere: Summè ſapienti, & potenti principi, ſummus honoris cultus eſt deferendus, &c. adhuc voluntas, niſi peculiari Dei afflatu excitetur, non poteſt eiuſmodi intellectus iudicijs expeditè obſequi: ita vt re ipſa, ne qua in re, aut Deum offendat, aut officium negligat, mortem ſubeat.

XXVIII.

Nec id ſanè mirum, aut incredibile videri debet: nam præterquam quod hic actus inter omnes purè morales principatum tenet, & multò procliuius ſit hoc, vel illud facto opus eſſe intelligere, quàm officium intellectum re ipſa præſtare, aut etiam efficaciter velle præſtare, eiuſmodi quoq; dilectio propinquam, ad gratiam, diſpoſitionem ſecum adfert: ea autem ſine præuenientis gratiæ ſubſidio nec conſtat, nec conſtare poteſt.

XIX.

Interim nos non præterit haud defuturos, qui definitæ veritati aduerſantes dicant, non minus arduũ exiſtimandum eſſe, ſi quis vel amici liberãdi, vel patriæ cõſeruandæ, vel cõmentitij numinis gratia carnifici ceruices præbeat, vel quauis alia ratione ſimiles ob cauſas, ſe, ſalutemq́; ſuam in extremum diſcrimen offerat, aut ad id periculi ſubeundum animo prompto exiſtat, quàm ſi pro æterno, immortaliq́; ſpiritu, hoc eſt pro ſummo totius creaturæ bono internecioni ſe dedat: repertos autem eſſe frequenter, qui pro patria, amico, hæreſews, aut idoli ſui defenſione promptiſſimo

mo animo ad mortem ſeſe offerrent: pari ergò ratione nonnullos reperiri poſſe, qui citra eiuſmodi ſupernaturalem afflatum, pro Deo mortem ſubire non dubitent.

XXX.

Non id ſequitur: primo enim oculis ſubiecta magis mouent, quàm remotiſsimè à ſenſibus poſita, vt Deus: deinde nõ hîc quæritur honor, aut popularis auræ fauor, vt iſthîc plærunq; ſolet: poſtremò in humano amore, & beneuolentia mangnæ ſæpè cacodæmoclis fraudes, & impoſturæ ſeſe immiſcent: quemadmodũ id, de ijs palàm eſt, qui pro Repub: Dijs manibus ſe deuquent, aut pro erroris, aut idoli ſui propugnatione rotas, flammas, & omne cruciatuum genus inſano furore ſubeunt.

XXXI.

Quod ſi qui, citra eiuſmodi illuſionem, aut fugacis gloriæ appetitionem, aut alias communis hoſtis præſtigias, pro amici, aut patriæ incolumitate, morti ſe expoſuerunt, aut etiamnũ exponũt, aut exponere parati ſunt, illi vtiq; hunc dilectionis actum ſolius naturæ viribus non concipiunt, aut ędunt: ſed peculiari Dei auxilio excitati, id quod ijs nõ deeſt, qui rectę rationi, & legi naturæ conſentaneè vitam inſtituunt.

XXXII.

Quod ſi iniuſtus hoc dilectionis affectu, in Deum, vt naturale rerum principium, aut finis exiſtit, ferri non poteſt, multò ſanè minus eadem illa vi naturali in eum aſſurget, vt eſt ſupernaturalis mortalium omnium, ac cœleſtium mentium finis: ſiquidem in mortalis vitæ huius ſtatione, non parum difficilius eſt amore, & beneuolentia in Deum ferri, quàm cognitione: at qui peccator Deum, vt ſupernaturalis intellectilis creaturæ finis eſt, naturali cognitione attingere non poteſt.

XXXIII.

Sed cauſabere opinor: peccãt, & quidẽ grauiter peccãt, qui Deũ ſuper omnia nõ diligũt: omniaq́;, & ſingula eiuſdẽ mandata accuratè nõ colũt: ex ſe ergo vtrunq; præſtare poſſunt, alioquin.n. non peccarent; ſiquidẽ nemo in eo peccat, quod vitare nulla ratione valet.

XXXIIII.

Non rectè id colligitur: primo namq́; homo tantam cautionẽ adhibere poteſt, vt vix vnquam à rectæ rationis magiſterio diſcedat: deindè vt ex ſe omnem impactionem, omnemq́; lapſum, &

noxiam diu vitare non poſſet, ſicut reuera id non poteſt, tamen ſingulas ſeorſum poteſt: atqui in ſingulis peccatur, non in omnibus: poteſt poſtremò, ſi ignauus non fuerit, vires à Deo impetrare, quibus adiutus, omnes, & ſingulas fœliciter declinet.

XXXV.

Quod ſi nihil horũ noſſet, aut poſſet, adhuc tamẽ à præuaricationis crimine iuſto titulo excuſare ſe nõ poteſt: vt qui ſponte in eã neceſsitatẽ præcipitẽ ſe dederit. Nam, vt ſuprà ſubindicatũ eſt, homo in ſtatu naturæ integræ Deũ, vt naturalis rerũ finis exiſtit, perfectè ſuper omnia diligere potuit: potuit præterea omnia, & ſingula legis præcepta ſecundũ actus ſubſtantiã integrè obſeruare: potuit deniq; omnes cacodæmonis impetus citra difficultatẽ ſuſtinere, ac ſuperare: At quia animo ſuo obſequi maluit, quàm ab interdicto pomo abſtinens, debitum Deo cultum deferre, ferat nunc æquabiliter incommoda oportet, quæ illicitam illam comeſtionem, hoc eſt mandati præuaricationem ſunt conſecuta.

XXXVI.

Verum enimuero ſecundum piam legiſlatoris intentionem, ne in illo quidem fœlici ſæculo Deum ſuper omnia diligere, aut cætera legis præcepta, abſq; ſanctificante gratia obſeruare potuit: ſiquidem legiſlatoris propoſitum non in nudam, ſed in meritoriã obſeruationem ferebatur: meritum autem abſq; peculiariſsimo Dei fauore conſtare non valet.

XXXVII.

Quo efficitur, vt optimo iure eorum error damnatus ſit, qui aſſerebant, diuinã gratiã ad hoc tantum cõducere, vt bonũ, vel verũ ſupernaturale cognoſcamus, cognitumq; faciliùs exequamur, nõ eum autem in finẽ, vt meritoriè operemur: vtrumq; enim falſum eſt, & ab vnanimi totius orthodoxæ Eccleſiæ conſenſione prorſus alienum.

XXXVIII.

Vt homo ſolius naturæ adminiculis nõ poteſt omnia, & ſingula, quę à Deo præſcribuntur, vel mediocri diligentia obſeruare, ſed aliqua ſolum: vel Deũ perfectè, & vt par eſt, ſuper omnia diligere, ſed in partem tantum: ſic, niſi ſingulari eiuſdem Dei ſubſidio fulciatur, non poteſt omnes aduerſarios inſultus retundere, ſed aliquos tantummodo, eosq; leuiores: quamuis ne hoc quidẽ ſatis cõſtanter.

XXXIX.

Primũ Decalogi pręceptũ, homo peccator ne ad vnũ quidẽ temporis

poris momentū explere poteſt:ſiquidē Deū ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnib. viribus diligere, ponit nihil omnino in diligentis corde, hoc eſt voluntate hærere, quod diuinæ dilectioni ſit aduerſum: atqui mortiferū peccatū, ac gratia diuina in hoc vitę ſtatu ita inter ſe pugnāt, vt ne infimo quidē gradu vnà exiſtere valeant.

XL.

Fatendū eſt tamē, & fatemur libenter, hoc diuinę dilectionis pręceptū nō ſemper ad actualem ſui obſeruationē obligare, ſed, vt cętera eius generis ſolent, pro temporis, & loci ratione tantūmodo: tū nulla id gratię vi, aut copia, ea perfectiōe hìc expleri poſſe, qua expletur, & in omne æuū explebitur in beata illa patria: tū demū Deū Opt: Max: hominē neutrum, hoc eſt ab omni gratia, & noxia ſegregatū, qui ſecundū actus ſubſtantiā illud vtcunq; expleret, pcreare poſſe.

XLI.

Cætera omnia Decalogi præcepta, ſecundum actus naturam, ſola generalis auxilij vi ad breue tempus expleri poſſunt: tametſi ne id quidem à quouis, ſed ab eo ſolùm, qui ſummum eam ad rem ſtudium poneret, ſummamq; cautionem adhiberet.

XLII.

Porrò autem quod in ſtatu naturæ integræ, nihil quicquam in corde reſideret, quod diuinæ dilectioni repugnaret, omnia, & ſingula legis præcepta in ea vitæ, morumq; integritate, citra aduentitiam gratiam perfici poterant.

XLIII.

Atq; huc illi ſpectant, qui hominem arbitrij libertate præditū, ex ſe bonum, et malum facere poſſe contendunt: Quod ſi qui eorū aliò ſpectarunt, aut ſpectant, non generatim de quouis bono loquunt locutiuè ſunt, ſed de aliquo tantùm: vel ſi de omni promiſcuè, nō de omni homine, ſed ſolùm de iuſto per gratiā iā ſanato:

XLIIII.

Tametſi quarundam infuſarum virtutum ratio, abſq; inhabitante gratia cōſtare, multaq; earundem officia citra eiuſdē gratiæ præſidium expleri queant, & interdum etiam cōſtent, & expleant: nulla tamen inter illas extat, quæ citra peculiarē præpotentis Dei gratiam, & benignitatem, aut conſiſtere, aut vllum omnino actū ædere valeat.

XLV.

Vt Eccleſiæ Sacramēta catholico ritu ſuſcipias, aut adminiſtres, nulla, pręter cōmunem, opus eſt gratiâ: vt autem ſalubriter, & cū

fructu id præſtes, ſupernaturali munitus gratia huc accedas oportet. Nam qui ſcelere quocunq; contaminati, ſcientes, volenteſq; ſacra illa Symbola tractant, ſibiue, vel alijs adminiſtrant, vel ab alijs adminiſtrata participant, adeò nullum commodum ex eiuſmodi adminiſtratione, tractatione, vel participatione reportant, vt nouo etiam ſcelere ſe obſtringant.

XLVI.

Et quoniã homo in corpore mortis huius conſtitutus, neq; grauioribus carnis, vel Cacodæmonis agitationibus obſiſtere: neque Decalogi, fidei, ſpei, cæterarumq; cœleſtium virtutum præcepta, citra familiarem Dei opem implere poteſt, fit vt ſe, ex ſe, ad gratiæ ſuſceptionem, quantum res poſtulat, præparare non valeat.

XLVII.

At poteſt tamen iniuſtus ex ſe, hoc eſt ſola propriæ naturæ vi, remotè ad gratiam, & iuſtificationem ſe componere: nam, vt ſupra ſubmonuimus, inhærens gratia eiuſmodi remotam diſpoſitionem, vt abſolutè neceſſariam, non depoſcit: ſed vt eam tantũ, quam peculiare Dei adminiculum, peculiariſq; eiuſdẽ fauor plærunq; excipit: hoc autem ſi eo, quo par eſt, modo, ac ratione vtatur, certò tandem ad iuſtificationis gratiam pertingit.

XLVIII.

Atq; hoc diuinæ literæ haud obſcurè inſinuant, dum de arbitrij noſtri libertate hunc in modum concinnantur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Item: Conuertimini, & ſalui eritis. Rurſum: Hominis eſt præparare animam &c. Item: Si quæſieris inuenies: Nam etſi iniuſtus, niſi cœlitus trahatur, cor, vel animam præparare, aut Deũ inquirere, aut ad eum ſe conuertere non queat: poteſt tamen bono liberi arbitrij vſu, ad eiuſmodi ſupernaturalem tractum qualemcunq; ſibi viam munire.

XLIX.

Etenim cum ſupernaturalis ille tractus non ſit qualitas animæ inſidens, ſed quidam tantum diuinus illapſus, aut tactus, voluntatem ad conuerſionem excitans, non aliam poſtulat ſupernaturalem diſpoſitionẽ, ſed obicis tantùm amotionem: nam aliàs in ſupernaturalibus diſpoſitionibus in infinitum procederetur: atq; ita iniuſtus ad iuſtitiæ beneficium pertingeret nunquam.

L.

Homo ſola rationis luce diuinam offenſam cognoſcere, cognitamq;

tamq; ex ſe in partē deteſtari poteſt: ex ſe tamen, niſi peculiari numinis adiumento fulciatur, nunquam tantum deteſtabitur, quantum ad obtinendam iuſtificationis gratiam deteſtatam oportet.

LI.

Dicent fortaſsis nonnulli: homo ex ſe de amico offenſo, quantum ſat eſt, dolere poteſt, ergo etiam de offenſo Deo? non ſequitur: nam illa offenſa eſt finita, iſthæc infinita: illa rurſum ſenſibus, qui animi motibus concitandis, mirificam in ſe vim cōtinent, obiecta eſt: iſthæc menti tantum eſt obuia: illa deniq; iniuriam paſſo veræ eſt detrimentoſa, iſthæc nequaquam.

LII.

Et quemadmodū homo, niſi cœlitus excitetur, tanto ſcelerum odio, quantum ad impetrandam Dei gratiam, ac peccatorum remiſsionem depoſcitur, exardeſcere non poteſt: ita idem, niſi diuinitus ſubleuetur, id totum integrè, quod in ſe eſt, ad cōuerſionem adferre potens non eſt: ſiquidem id totum integrè, quod in ſe eſt, in medium adſerens, propinquè ad gratiæ fontem accedit: atqui propinquus ad gratiam, & peccatorum remiſsionem acceſſus, abſq; ſingulari diuini ſpiritus afflatu haberi non poteſt.

LIII.

Quia verò facilius eſt, moralia legis præcepta obſeruare, & vtcunq;, quod ſuarum eſt partium, ad cōparandam peccatorū veniam in medium adferre, quàm proximè, vel quantùm res poſtulat, ad gratiam ſe diſponere: & illud rurſum, quàm gratiam, aut integram peccatorum remiſsionem promereri, ſi lethali obſtrictus peccato horum nihil, abſq; cœleſti numine præſtare queat, multo ſanè minus, abſq; eiuſmodi numinis ope, æternam emerebitur vitam: tranſcendit enim hæc naturalem hominis facultatē nō parū.

LIIII.

Appellatur autem, cùm in diuinæ legis voluminibus, tùm in veterum quoq; Patrum monumentis vita illa cœlitum fœliciſsima, merces: non quod humanarum actionum ea vis, amplitudoq; ex ſe ſit, vt ipſarum cauſa, Deus pro iuſtitiæ ſuæ ratione cōplenda, tanto nos præmio donare compellatur, ſed idcirco hoc nomine cenſetur, quod benigna, ac liberali Patrisfamilias promiſsione, quaſi iuſtum exhauſtorum in vinea laborum ſalarium exiſtant: Notum eſt enim illud Euangelij: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſsimis vſq; ad primos.

LV.

Verũ enimuero licet cœleſtis regni fœlicitas, tùm mercedis, tùm etiam gratiæ nomine exprimi queat, & familiariter exprimi ſoleat, rectius tamẽ gratiæ, quàm mercedis vocabulo ſignificatur: Nã & quod opera humana Deo Opt: Max: grata ſunt, eſt gratiæ: & quod tanta fœlicitas, pro tantillo labore promittitur, ſingularis eſt miſericordiæ; & quod merces promiſſa tam cumulatè redditur, id demum ſummæ eſt gratiæ, & munificentiæ.

LVI.

Vt homo in mortiferum peccatũ prolapſus, ſine gratia reſurgere non poteſt: ita idem abſq; ſingulari Dei patrocinio omnia lethalia peccata diu euitare nequaquam valet: tantam enim exitioſa illa prolapſione naturæ infirmitatem ſibi aſciuit, tantasq; ad res fluxas procliuitatem contraxit, vt grauibus carnis, mundi, vel Diaboli incurſionibus ex ſe reſiſtere neutiquam queat.

LVII.

At poteſt tamen ſingula vitare: nam ſingula ſimpliciter ſunt voluntaria: alioquin enim non eſſent peccata: ſicut etiam iuſtus ſingula venialia declinare poteſt, non tamen omnia, & ſingula, ſaltem multo tempore: ad breuem tamen temporis intercapedinem, & iniuſtus omnia, & ſingula mortalia; & iuſtus rurſum omnia, & ſingula venialia euitare poteſt.

LVIII.

Verum vt iuſtus non omnia peccata venialia euitet, non ideo tamen deſinet eſſe iuſtus, aut ſanctus: Venialia enim ſanctimoniã, & iuſtitiam per ſe, & directè non infringunt, ſed ex obliquo tantùm, & per accidens, ad vtriuſq; infirmationem diſponunt.

LIX.

Speciali Dei priuilegio munitus omne omnino peccatum tùm mortale, tùm etiam veniale, toto vitæ decurſu declinare poſſet: hoc tamen priuilegium vel nullis, vel non admodum multis huc vſq; obtigiſſe creditur: Chriſtum & matrem eius Virginem ſemper excipimus. At verò vitæ innocentiam permulti ad finem vſque viriliter tutati ſunt: de quibus forſitan illud Apocalypſεως: Non eſt inuentum in ore ipſorum mendacium, non incommodè accipi poteſt: ſi qui tamen ἐυλόγιον illud ad ſanctos Martyres referre malint, non repugnamus; certum eſt enim eos emori, atq; a

deo in mille partes diſcerpi maluiſſe, quàm Chriſtum, qui prima veritas exiſtit, ſacrilego ore pernegare.

LX.

Diximus abſq; ſingulari priuilegio nullum hucuſq; mortalium, qui eius ætatis eſſet, vt peccare poſſet, omne omnino peccatum euitaſſe: nam non idem eſt penitus ſingulare priuilegium, quod ſpeciale auxilium: hoc enim omnibus, qui ſeipſos non negligunt, vel à ſuis nō negliguntur, in ſe, vel in cauſa ſua gratuito, ac liberaliter, & ordinariè, & ſemper offertur: illud verò non omnibus promiſcuè, ſed perpaucis, ijsq; ſelectiſsimis, & quàm rariſsimè: hoc rurſum nullum illius, cui diuinitus obtigerit, opus, aut συνέργειαν neceſſariò exigit: illud autem, ſi quid effecturum eſt, vtrunq; neceſſario depoſcit: hoc deniq; ſine ſuo perſæpe fruſtratur, illud nunquam.

LXI.

Quare D. Ioannes Baptiſta non aliquo communi, aut ſpeciali auxilio, ſi propriè loquamur, intra maternos ſinus adhuc latitans, ſanctificationis gratiam conſecutus eſt: ſed ſingulari Dei Opt. Max. priuilegio. Sic Virgo mater non communi, aut peculiari numinis ope ab omni prorſus peccato præſeruata fuit, ſed ſingulariſſimo cœleſtis Patris priuilegio: ſic Apoſtoli multo ante vitæ cataſtrophiam in accepta gratia fuêre confirmati: ſic deniq; pauci quidam in grauibus peccatis extincti, ad vitam, & pœnitentiam denuò leguntur reſuſcitati.

LXII.

Homo originalis iuſtitiæ dono ornatus ex ſe, hóc eſt ſolo communi illo, ac generali Creatoris auxilio inſtructus, cuiuſuis generis peccata declinare poterat. Quid ita? quia nulla tunc tenebatur carnis infirmitate: nulla laborat ignoratione: nulla æſtuabat malitia, aut immoderata cupiditate: Atq; hoc vno nō parum melioris conditionis erat homine per gratiam ſanato: Nam hîc, niſi in omnem partē mentis oculos cōijciat, cautiſſimeq; incedat, leuiora illa venialiū noxarū iacula, toto vitæ decurſu repellere nō poteſt: at poteſt tamen ex his aliqua perpetuò retundere: poteſt.n. nunquam iocoſum, aut officioſum mendaciū dicere: nunquam veniale furtū cōmittere &c.

LXIII.

Iuſtus alia, præter eam, qua iuſtus eſt, gratia non indiget, vt iuſtè operetur, vel à peccato arceatur: attamen, quod per acceptam iuſtifica-

iuſtificationis gratiam, ab omni ignorantia, & infirmitate nō exuatur, vt conſtanter operetur, vt grandia operetur: cum nec vlla carnis, vel Cacodæmonis impulſione ſternatur, vel inflectatur, ſpeciali adhuc auxilio fulciatur neceſſe eſt.

LXIIII.

At hoc tamē præſidio non indiget, vt vulgaria præſtet, vt mediocres Dæmonis, vel carnis inſultus depellat &c. Nā ſi iniuſtus, vel etiam in puris naturalibus conſtitutus, ſolo communi munitus auxilio ſtipem in egenos diſtribuere, damnum, vel iniuriam illatam condonare, & alia quædam ex ſe honeſta moliri poteſt, cur hæc cum eodem generali, ac communi concurſu non poterit iuſtus?

LXV.

Sed nec alia quoq; infuſa opus eſt gratia, vt in accepta gratia perſeueret: tamen ob cauſas, quas iam antè expoſuimus, vt hoc certò, ac fideliter præſtet, ſingulari adhuc cœleſtis numinis indiget patrocinio.

LXVI.

Quæ hactenus expoſuimus, planum faciunt, ſententia illa dominica: Sine me nihil poteſtis facere. nihil verius, nihil ſanctius dici potuiſſe: Nam abſq; Chriſto, & ſacroſancto ipſius merito, nec gratiam habere, nec habitam retinere: nec ex habita fructum colligere, nec ad eam habendam ritè componere vlla nos ratione poſſumus. Ipſi ſit honor, laus, & gratiarum actio in perpetuas æternitates Amen.

SVB PRAESIDIO THEODOri Peltani, ſocietatis Ieſu Theologi, et Profeſſoris ordinarij, defendit M. Paulus Vizanus, eiuſdem ſocietatis Philoſophus, & Profeſſor ordinarius.

ALTERA

ALTERA QVÆSTIO THEOLOGICA POMERIDIANA.

CVm multi ætate hac de præſenti iuſtitia, ac gratiæ certitudine, multa nugentur, non abs re in diſputationem proponitur, num qua in hac uita eiuſmodi certitudo extet: tum, ſi qua exiſtat, ecquænam illa ſit?

CONCLVSIO.

Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Eccleſ. 9.

Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Iob 9.

Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. 1. Cor. 4.

DE SECRETO IVSTIFICAtionis myſterio, incertaq́ue diuinæ gratiæ præſentia: diſputationis huius pars quarta, & poſtrema.

THESIS I.

QVantum ſat eſt, ad gratiæ ſuſceptionem præparatus, gratiam, & peccatorum remiſsionem, niſi, quod poteſt, oblatum beneficium ab ſe repellat, certò conſequitur.

II.

Conſequitur aūt vtrunq;, non quòd vtrunq;, vel etiam alterū horum ex ſe, priuatoué ſtudio promereatur (primam namq; gra-

tiam, nullum veri nominis meritũ antegreditur:) ſed quod Deus Opt. Max: impigrè, quod in ſe eſt facienti, deeſſe non conſueuerit.

III.

At quia per arduum eſt internoſcere, id ne totum bona præſtitum ſit fide, quod ad gratiam, & peccatorum remiſsionem obtinendam præſtitum oportebat, fit, vt nemo inter communes mortalium cancellos perſiſtens, ſe iuſtum eſſe, fidei certitudine, exploratum habeat.

IIII.

Fidei certitudinem eam hoc loco appellamus, cui ſubeſſe falſum non poteſt: quæ proindè certitudo non eſt cuiuſuis fidei, ſed fidei tantùm diuinæ.

V.

Poteſt quidem humana fides vera interdum, & certa exiſtere: attamen quod hæc fides humanæ authoritati, quæ fallax eſt, veluti baſi innitatur, non eſt illi hoc proprium.

VI.

Authoritatis nomine, dicentis veritatẽ, hoc loco accipimus: ideo namq; huic, vel illi credimus, quia veracem exiſtimamus: ideo aũt veracem, quia probum, & ſapientem eſſe perſuaſum habemus: veracitas igitur, vel veritas, quàm probitas, & ſapientia pariunt, præcipua humanæ fidei ratio, ac baſis exiſtit.

VII.

Diſſerimus hic de humanæ fidei ratione, ac fundamento ſecundum ſe: nam ex praua animi affectione accidere interdum poteſt, vt nulla ijs habeatur fides, quibus debetur maxima: ijs cõtra obſtinatè credatur, qui mentiũtur impudentiſsime: Ecquis enim Sectariorum ſectæ ſuæ anteſignanis non plus fidei tribuit, quam vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ? Imò vero, quàm Spiritui ſancto, qui per Eccleſiam loquitur?

VIII.

De fide porro diuina longè aliter ſtatuendum, ac pronunciandum eſt: nam cum primaria S. Sanctæ fidei huius ratio, ac quaſi origo, ſit veritas prima reuelans, fieri omnino non poteſt, vt credentem fallat, aut in errorem inducat.

IX.

Cum itaq; aſſeritur nullum intra communes mortalium cancellos collocatum, ea certitudine, cui falſum ſubeſſe nequit, ſe iuſtum

ſtum eſſe perſpectum habere, aliud nihil aſſeritur, quàm neminẽ citra peculiarem Dei Opt: Max: reuelationem id compertum habere: ſiquidem præcipua diuinæ fidei ratio, & veluti Fundamentũ, eſt Dei vox, vel reuelatio.

X.

Credimus namq; hoc, vel illud, quia diuinitus reuelatum eſt: factam autem reuelationem veram credimus, quia primæ veritatis, quæ mentiri, aut fallere non poteſt vox, vel reuelatio eſt; eſſe verò primæ veritatis vocem, vel reuelationem, id quidem ab Eccleſia certò ſciri poteſt: ab alijs verò eò certius, quò vberioribus infuſæ ſcientiæ, vel intellectus cumulati fuerint donis.

XI.

Quare licet fœdè cumprimis in eo errent Catholicæ fidei hoſtes, quòd hoc ipſo iniuſtos iuſtificari nugatoriè commentantur, quod certò ſe iuſtos eſſe perſuaſum habent, vel ſomniant potius, tamen putido hoc commento, vt fundamento, iacto, rectè inferunt, omnes, & ſingulos, qui inani illa, & nugatoria perſuaſione tenentur, ſub æternæ mortis reatu, ad hoc ipſum certò credendũ, ac ſtatuendum obſtringi: ſiquidem diuinæ fidei fidem abrogare, hoc eſt, quod illa certo dictat, certò non credere, immane eſt ſacrilegium.

XII.

Verum quia hoc ipſum quod illi, vt verum, ac certum ſumunt, & falsò ſumunt, & inſulsè ſumunt (nec enim ideo certò iuſtificationis gratia potimur, vel iuſti ſumus, quia certò nos iuſtos eſſe credimus: nam ſi qua certa præſentis iuſtitiæ notitia exiſtit, ea charitatem, & reliquas virtutes non progignit, ſed ex illis progignitur: ſed ideò iuſtificamur, quia vocanti gratiæ promptè obſecundamus) non poteſt quod colligunt, non rudiſsimè, & inſulſiſsimè colligi.

XIII.

Sed & aliter quoque inanis illa Sectariorum fiducia, incertaq; eorundẽ certitudo oſtendi, ac retundi poteſt: nam ſi hæreticus ea certitudine, quæ fallere neſcit, ſe iuſtũ eſſe nouit: aut eã certitudinẽ hauſit ex diuina reuelatiõe, aut ex clara Dei, vel ipſius rei, ſecundũ ſe, viſione: non ex clara Dei viſione, quia illa fidem, tanquam merces

D 2 ipſius

ipſius exiſtens, ſecludit: nec rurſum ex viſione rei ſecundum ſe: nam cùm iuſtitia ex ſe ſit quædam ſpiritalis qualitas, per ſe, & ſecundum ſe, ſub ſenſum non cadit: effecta autem eius, & fructus, ab acquiſitæ iuſtitiæ effectis, & fructibus certò ſecerni non poſſunt: nec deniq; ex reuelatione: nam priuatæ illæ reuelationes non ſunt communes multis, nedum omnibus, quales iſtæ confinguntur, ſed perpaucis, eiſdemq; ſanctiſsimis, ac Deo familiariſsimis propriæ.

XIIII.

Iam vt nemo ex ſe, niſi cœlitus id diſcat, nullo ſe obſtrictum crimine teneri, certò ſcire poteſt: ita nemo ſe iuſtũ, atq; adeò ab omni repurgatum ſcelere hinc olim diſceſſurum eſſe, ſola vi mentis perſpicuè noſcere poteſt: quandoquidem magnum illud, in accepta gratia, perſeuerantiæ donum, non minus, imo magis, ex occulto Dei iudicio dependet, quàm ex mortalium voluntate, ac ſtudio, tametſi hæc quoq; non excludat, ſed includat.

XV.

At non ita aliorum omnium iuſtitia obſcura eſt: nam cùm ex fide compertum ſit, Sacramentum Baptiſmi obicem non ponenti gratiam conferre, & eadem fide conſtet, in puero infante nullũ ſuſcipiendæ gratiæ obſtaculum hærere, & euidenter ſciam, vel ſcire queam, me hunc, vel illum baptizaſſe, modis omnibus certũ, & exploratum mihi erit, hunc vel illum Baptiſmi gratiam recepiſſe. Verum de adulto, vel infante ab alio ſacris lymphis expiato, ea certitudo communi lege haberi non poteſt.

XVI.

Etſi verò homo, niſi diuinitus edoceatur, ſe iuſtum eſſe certò noſſe non queat, poteſt tamen ſe iniuſtum eſſe pro compertiſsimo habere: nam cùm homicidium, adulterium, furtum, aliaq; id genus flagitia, ſimul cum diuina gratia conſiſtere non poſſe ex fide norit, & certò nihilo ſecius meminiſſe queat, hæc ſe patraſſe, vel antè patrare voluiſſe, vel etiamnum patrare velle, & tamen nulla adhuc pœnitentia duci, vel iam ante ductum eſſe, non poterit nõ certam, & quaſi euidentem de ſua iniuſtitia notitiam obtinere.

XVII.

Veruntamen æternæ ne mortis debito obſtrictus, hinc tandem ſit diſceſſurus, hoc citra vllam omnino controuerſiã ſcire non poteſt: Nam etſi obſtinato animi decreto in aliquo crimine, vel errore in omne æuum perſiſtere ſtatuerit, Deus tamen, qui pro ſua

omni-

omnipotentia etiam ex lapidibus Abrahæ filios exuſcitare nouit, poteſt duram illam, atq; præfractam voluntatem cœleſtis gratiæ rore perfundere, perfuſamq;, & emollitam præualidè ad ſe trahere: quemadmodum multis id ſæpè exemplis compertum eſt hactenus.

XVIII.

Et vt nullus mortalium, niſi Deo reuelante id diſcat, ſe veſte nuptiali, hoc eſt infuſa charitate ornatum eſſe, exploratè tenet: ita nemo quoq; ſe fide, vel ſpe, vel alia infuſa virtute donatum eſſe certò callet: experitur quidem ſe credere, & fortè firmiter credere, ſicut etiam ſe amare, vel ſperare animaduertit: verum an illi actus ex habitu infuſo, & acquiſito ſimul procedant, an tantum ex acquiſito, id propter actuum ſimilitudinem, certò omnino, ac infallibiliter diſcernere nequaquam valet.

XIX.

Dicimus nihil eorum omnium, quæ ſuprà commemorauimus extra reuelationem certò, ac citra omnẽ omnino errorem cognoſci poſſe: nam vt communia fidei myſteria per diuinam reuelationem orbi Chriſtiano patefiunt, ita quædã quoq; priuata quibuſdam priuatis, eadem illa reuelationis via patefieri poſſunt, & interdum patefiunt: tametſi non ita frequenter, nec ita multis accidere id ſoleat, ſed rarò admodum, & perpaucis.

XX.

Et vt Deus Opt: Max: fide, ac ſanctimonia præſtantib. præſentem interdum gratiam reuelat, ita idem gratiam finalem, hoc eſt in accepta gratia conſtantiam, multò ante supremã vitæ cataſtropham, ĳſdem illis nonnunquam prænuntiat: nec enim futuræ ſalutis ignarus Apoſtolus exclamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? rurſum. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c.

XXI.

Adulti qui peccatorum odium, fluxarum rerum deſpicientiã, cœleſtium amorem, pœnitentiæ ſtudium, in aduerſis patientiam, in proſperis animi modeſtiam, in diuinorum præceptorũ obſeruatione alacritatem, & alia id genus pietatis ſenſa, vel argumenta experiuntur: illi præſentem ſempiterni numinis fauorem certò ſibi polliceri non prohibentur: ea tamen certitudine, quæ non omnem prorſus formidinẽ excludat: Meminiſſe enim debent

ſcriptum eſſe: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. item: Nihil mihi conſcius ſum, in hoc tamen iuſtificatus non ſum. item: Etiam ſi ſimplex fuero ignorabit hoc ipſum cor meum.

XXII.

Neq; tamen, quia non omnem prorſus formidinem excludendam ducimus, ideo etiam deſperandum, aut anxiè ſemper fluctuandum eſſe docemus: aliud eſt enim deſperare, aliud temerè præſumere, aliud medio, inter vtrunq;, ſeruato, piam quandam de Dei miſericordia, atq; adeò de præſenti iuſtitia fiduciam cõcipere: hoc enim virtutis eſt, & Chriſtianum: illud temeritatis, & Iſchariotic ũ.

XXIII.

Quid quòd tam multa, ac tam illuſtria præſentis gratiæ ſigna adeſſe interdum queant, vt omnem prorſus de præſenti ſalute metum, ac animi hæſitationem ex pectore ſe moueant?

XXIIII.

Verum tantam præſentaneæ ſalutis certitudinem in hominibus communem vitam degentibus non facilè comperias. Eſt .n. opus non pauci ſudoris, neq; paucorum dierum ad eam perfectionem deuenire: quamuis nobis probabile fiat, nõ paucos olim huc perueniſſe, & etiamnunc nonnullos huc quandoq; peruenire.

XXV.

Ex his omnibus manifeſtum fit hominem Chriſtianum de præſenti iuſtitia, certitudinem morali cõiecturaliuè maiorem, via ordinaria habere nõ poſſe: extraordinaria autẽ eam conſequi poſſe, & interdum conſequi, quæ non omnem ſolum, de oppoſito, formidinem excludat, verùm etiam, quæ omnem errorem: cuiuſmodi illa eſt, cui falſum ſubeſſe non poteſt: tùm non omnem moralẽ certitudinem, æquè certam eſſe: tum deniq; Sectarios, qui obſtinato animi propoſito in errore perſtant, & in poſterũ perſiſtere certum, ac deliberatum habent, ſummam de ſua iniuſtitia certitudinem habere poſſe, de ſua autem iuſtitia, ſaltem ex parte rei, omnino nullam. Chriſtus Dominus cæcorum corda gratiæ ſuæ lumine colluſtret, colluſtrataq; maturè, ac integrè ad ſe conuertat. Amen Amen.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.1.Th. lege id totum, pag.2. Th.12. gratiæ ui. 19. Tyrijs Sidonijs. Tyrij.22. exprimitur. 24. non minus. pag.3. Th.7. hoc Sacr.13. internunciorum. pa.4.Th.